VOORDUIN

RESPONSIO AD QUÆSTIONEM

PHILOSOPHIAE

N. 14

JUSTINI CORNELII VOORDUIN,

RHENO-TRAJECTINI,

RESPONSIO

AD

QUÆSTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA GANDAVENSI PROPOSITAM,

ANNO M. DCCC. XXI.

» *Laudatio Simonis Stevini, Brugensis.*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT DIE VII OCTOBRIS M. DCCC. XXII.

GANDAVI,

APUD P. F. DE GOESIN - VERHAEGHE, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUM.

1823.

Les Hollandais devinrent, ce que peuvent devenir des peuples libres.

VILLERS.

LAUDATIO

SIMONIS STEVINI.

Est hoc profecto omnium rerum humanarum commune fatum, ut non continuo progrediantur gradu, sed remissiones dentur illius ardoris, qui in promovendis quibuscumque egregiis rebus cernitur. Variis sane de causis alia neglecta, alia minus culta, alia denique in contemtum deducta sunt, et evanuerunt adeo. Antiqui merito celebrantur ob utilissima præstantissimaque inventa. Medio ævo gens humana aliis ferebatur studiis, et vix hic illic exstiterunt viri, qui communi ignavia atque barbarie non prorsus abrepti, majorum decus atque gloriam, non tamen nisi illius ævi habitu indutam, posteris servarent. Et quamvis dein vetus illa barbaries in moribus (1) non adeo cerneretur, quamvis majora peteret genus humanum; artes tamen atque doctrinæ, non nisi sero, hac felicitate fruebantur. Sed prouti ager novalis tum demum speratos fert fructus, si justum quieverit tempus, et vires ad majora proferenda sibi comparaverit; ita humanum genus ex illo horrore splendide sese extulit, et nulla non protulit præclara.

Itaque medii ævi tempore longe plurimi egregie sibi suisque placebant, si, quæ didicissent, perciperent rite; sed ultra illos fines ullo modo progredi vel non audebant, vel non cupiebant, vel non poterant. Sed est hoc demum redeuntis cultus, est hoc illius instauratorum insigne indicium, ut ex angustiis, quibus se teneri sentiunt, fortiter erumpant, suæque sibi præstantiæ conscii, non timeant esse sui. His viris artes et doctrinæ verum suum acceperunt incrementum, literæ renatæ, vera humanitas, germanus cultus sunt instaurata.

Istiusmodi viris et gloriantur aliæ regiones, et præsertim patria nostra. Quos laudare patriæ suæ amanti omnium accidit dulcissimum et optatissimum. Laudationem itaque *Stevini* nostratis conscribere, eumque ea, quam meretur, laude condecorare, quod vehementer me alliceret, negotium fuit. Optimo enim jure et vario nomine in iis eum censendum esse videbam, qui gravissima quæque vel noviter protulerunt, vel ad accuratiorem utilioremque perduxerunt rationem.

Subibat tamen, magnos nisi a magnis viris rite laudari existimarique non posse. Et diu quidem hoc me retinuit. Sed cum essem unus de illis, quibus hoc mandaretur; præclari viri merita, quæque inde orta est summa illius existimatio, me adhortata sunt, ut opus aggrederer. In quo si non prorsus displicuerim, egregie mihi satisfecisse videbor. Illud vero me eo facilius consecuturum esse putavi, quia scribere mihi contingit ad viros, qui et plurimis in rebus, et in hac ipsa præscribenda quæstione tam splendide docuerunt, se bene sentire de patria deque illis, qui ejus gloriam auxerunt.

In unaquaque doctrina aut arte consideranda vix aliter fieri potest, quin continuo nobis sese offerat perfecti cujusdam species. Qui eloquentiæ vim et efficacitatem, ut et id, quod in ea requiritur, attenderunt, sibi perfecti oratoris informarunt effigiem, ad quam qui accessisset, merito haberetur perfectus orator.

De summo igitur viro judicanti cuique aut dicenti haud melior facile ratio eligenda, quam quâ ad constitutam sibi perfecti speciem virum exploret suum: sed tempora, quibus usus est, consideret, ac quatenus præ sui ævi hominibus excelluerit, quidque alii, qui eum secuti sunt, illi debeant, ostendere conetur. Stevinum itaque cum primo loco in *Mathematicis doctrinis* excelluisse putemus, a proposito alienum non videtur eorum, quibus vixit, temporum rationem habere, ut eum pro illa ætate perfectum exstitisse mathematicum doceamus.

Fuit sæculum XVII. inventis novis omnino celeberrimum. Prodiit

Newtonus, Keplerus, Galilæi, alii, quorum nomina subsequentia secula non facile obfuscaverint (2). Ejusmodi vero rerum commutationes, quas hoc ævo doctrinæ mathematicæ subierunt, non uno temporis articulo veluti de cœlo esse lapsas, omnium omnino rerum humanarum docet consideratio. Tempora igitur quæ antecesserunt, licet non adeo splendeant, sua tamen laude cernuntur. Fovent enim studia virorum, qui sese extollere temporumque rationem emendare cupiunt (3). In homine enim hoc inest, ut id omni ope sectetur, ad id sibi omnia comparet, ut meliorem assequatur rerum conditionem. Quam licet perfectam reddere non possit, tamen appetit continuo (4). In omnium animis hic ardor habetur; sed sensim prodeunt, qui hoc perficiant. Et prouti in scena non statim in plena luce versantur, qui principem acturi sunt personam; sed a variis actoribus eorum adventus præparatur: ita quoque in generis humani obtinet progressu. Quorum ergo merita, si cum temporibus subsequentibus comparentur, non adeo elucescunt, hi jam auctores fuisse apparent eorum, quibus tanti dein viri exsistere potuerint. Itaque medium ævum plurimis censetur omni omnino doctrina aut arte caruisse, putantque eruditissimos quosque hæsisse unice in antiquorum præceptis decantandis, non tamen nisi mutilatis et parum intellectis: nihilque adeo attulisse, quo increscerent artes doctrinæque. At vero progrediebatur vera humanitas atque cultus. Quot enim gentes excolendæ conciliandæque, quanta immanitas sedenda, ut ad meliora tempora posset perveniri (5)! Attendenda itaque vel maxime, quænam in mathematicis, de quibus præsertim est dicendum, ab antiquis relicta sint, et quomodo his usi sint cum hic ipse Stevinus, tum alii, qui viam tam præclare muniverunt ad maxima quæque.

Philosophandi cogitandique vi mirifice excellebant antiqui. Hinc multa divinarunt egregia, quæ posterior ætas observationibus demonstravit (6). Sed omnia se mente comprehendere posse opinabantur; parum observabant (7), et metaphysice fere procedentes, in mathesi pura quidem aliquod sibi acquisiverunt nomen; cum vero ratiocinationes observationum occupassent locum, in applicata mathesi parum præstiterunt, præsertim in mechanica (8). Archimedes et Alexandrini observabant magis (9): sed tempus jam aderat, quo a vigore suo deficerent Græci, et quod fere

cernitur in hominum rebus, ut rerum inventores fere excipiantur ab iis, qui aliorum opera in ordinem redigant et veluti ruminentur, ita quoque his temporibus prodibant multi, qui commentariis conscribendis, colligendisque iis, quæ sparsim haberentur, inclaruerunt (10). Arabes interim artes mathematicas occupaverant (11), eosque magis magisque viri docti peregrinationibus adibant, ut ab iis veram rerum notitiam scriptaque antiquorum peterent; quæ domum reduces latine versa vel commentariis etiam instructa, suis civibus tradebant (12). Hosce viros de artibus mathematicis optime meruisse, quis est qui dubitet? Ad nova enim, quæ postea inventa sunt, proferenda ætas illa matura nondum erat (13). Inventa quidem nonnulla tulit (14), sed inchoata tantum illa et inepte proposita. Fuerunt vero pauci quidam futurarum commutationum veluti primi nuntii, Purbachius, Regiomontanus, alii: qui licet illis vitiis non prorsus carerent, accedebant tamen ad meliorem illam in mathematicis rationem, quæ observando cernitur (15).

Ex eodem autem illo sese extollendi ardore, e quo multa in quibusvis rebus prodierunt egregia, et ipsa adeo Reformatio (16), prodibant quoque varia in artibus ac doctrinis libertatem vindicandi conamina (17). Quæ antea, vel jurejurando interposito, secum invicem communicaverant viri docti, libere jam ubivis prædicabantur (18). Multi tamen etiamnum sibi sapere malebant solis; se scilicet spectabant, non artem suam, et ad scurrarum quoddam genus referendi potius, quam in eruditorum classem. Mira quæque, et ea traduntur, quibus fidem vix habeamus (19). Hæc vero interierunt fere cum ipsis inventoribus, cum illa cuiquam tradere nollent. — Quæ tamen inventa in publicum proferebantur, ab omnibus non eodem studio recepta fuere. Contentio illa, quæ in rebus religiosis et politicis habebatur, pervenerat ad omnes, ad mathematicos quoque nostros (20). Hinc mala quæque gravissima manarunt, parumque illa ratio conveniebat cum artium indole et doctrinarum, quæ cum inter se vinculum habeant commune, sibique opitulentur invicem, homines etiam conjunctos requirunt. Eruditi viri publice sibi invicem illo tempore mittebant ad certamen provocationes, die statuto partes cum magna sæpe fautorum turba aderant; contendebatur acriter; ad manus non raro res perveniebat. Erant præterea hoc ævo artes doctrinæque penes

solos fere clericos, qui linguâ latinâ et scholasticâ ratione sua tractantes, omnes omnino, qui hisce inde ab ineunte ætate totos se non tradidissent, arcebant tamquam profanos (21). Linguæ enim Europeæ eo tempore non satis excultæ erant, ut iis scribi quid posset: vel scribendo potius eas non satis excoluerant (22). Accessit, quod eruditi homines illam doctrinarum provinciam sibi vindicare conarentur, ut eo magis præ suis æqualibus elucerent. Doctrinæ ergo mathematicæ colebantur illæ quidem, sed non adeo ad publicam adducebantur utilitatem. Scholæ his doctrinis non habitæ. In paucis admodum vera docendi via (23). Summa imis non raro mixta. Non satis quæsita principia illa, quæ unice consequi quis potest, si rite totum rerum ambitum complectatur, neque, ut fiebat fere his temporibus, uni alterive doctrinæ parti totum se tradat, in idemque desudet semper. Ex angustiis illis pauci hoc ævo sese expediverunt. Sed omnia hæc pedetentim mutata sunt, et ubique tendebant homines ad altiora. Testes sunt illi, qui variis dissitisque locis eodem fere tempore in variis rebus maximas quasque rerum mutationes induxerunt, Lutherum dico et Copernicum (24). Testes sunt illæ de vero magnarum rerum auctore contentiones (25). Qui igitur in suo genere quidvis contulerunt ad hanc prosperam commutationem, sua laude non careant: minime omnium laude sua careat Stevinus.

Latius hæc exposita videantur, et a Stevini imagine aberrantia: sed dicta hæc sunt, ut appareret, quis habendus esset ea ætate *perfectus mathematicus*, quæque antea fuerint harum rerum tenebræ, et qualis hæc veluti aurora fuerit exorta. Et vero cum horum temporum recentem felicitatem descripsimus, ipsum jam descripsimus Stevinum, qui quod animis omnium latebat, id ipsum ingenio suo complexus, in lucem protraxit. Nam uti ceteri artium literarumque instauratores, ita et in suo genere Stevinus sæculi sui exstitit interpres: ex quo tamquam ex ore quodam omnium cogitata sensaque perciperentur. Quod age singulis documentis ostendamus et eximii viri inventis factisque singularibus.

Hoc quidem in primariis hujus ævi principum virorum dotibus cernitur, ut non uni tantum incumberent arti doctrinæve, sed plurimis sese traderent. Sentiebant jam vinculum inter has omnes intercedere, quo arctissime conjunctæ ad meliorem pervenirent conditionem. Fuit

hæc ratio Baconis, fuit hæc Newtoni etiam et Leibnitzii. Mathematicæ vero doctrinæ quam late pateant, nemo hoc ævo melius percepit Stevino. Nemo in vasto illo doctrinarum campo aptius versatus est. Eum profecto tot nominibus excellere videmus, ut vel singula ad summam laudem apud posteros consequendam sufficerent abunde. Inter arithmeticos enim summa viguit fama; postea vero inter algebraïcos et geometras, uti et physicos, eo habebatur nomine, ut non tantum sui ævi, sed et subsequentium temporum his in artibus viri principes ejus scripta quantivis duxerint pretii. Hæc vero omnia adeo alia aliis applicuit, quodque inter ea vinculum intercederet, tam luculenter ostendit, ut egregia quæque ab eo prodirent in geographia, astronomia, statica et hydrostatica, musica etiam atque optica (26). Cumque ille præterea cum hisce omnibus cetera studia humaniora conjungeret, ejus animus vere est philosophus dicendus; si quidem is habeatur genuinus philosophus, qui non ad hanc illamve se conferat doctrinam, sed ad omnes veluti prorumpat (27). Itaque pauci fuerunt similes in hac rerum varietate complectenda, nemo Stevino superior.

Mira quadam sagacitate et contemplandi cogitandique vi gaudebat Stevinus, illaque omnia sua prorsus, non antiquorum tractabat ratione, quam ipse in scriptis rite explicuit et commendavit. Utilitatem scilicet inesse putabat et in theoria et in praxi. Has vero ab initio non miscendas, dein conjunctas optime prodesse, suo luculenter probavit exemplo (28). Hæc quidem summa illius moderatio maxime splendet, si horum temporum magnarum rerum auctores propius attendamus. Inclaruit hoc ævo Baco Verulamius, qui theoriam forte nimis neglexit, qui omnia fere observationibus tribuit. Sed et fuit Cartesius, theoreticâ illâ procedens ratione, iisque, quæ in natura observabat, sua præponens principia metaphysica. Hoc itaque in eo conspicuum est, quod sentiret rite theoriam et metaphysicam ad res mathematicas non sufficere. Copernicus autem, quamvis egregie de astronomia meritus sit, et 36 annorum observationes ediderit, vel sic tamen nimis hypothetice egit. Hoc rite percepit Stevinus, eumque merito culpavit non tantum, sed et quod deficeret, apte supplevit (29). Hoc certe in primariis ejus ad meliorem artium doctrinarumque conditionem promovendam conaminibus censendum. Ita demum

minime neglexit theoriam, sed diligentius pariter in rebus observandis non facile cernitur aliquis esse versatus. Omnia omnino attendebat. Quod magis facere et debuit, et revera fecit, quia in tanto studiorum ambitu vix aliquid obveniret, quod non gratum haberet acceptumque, quod non scriptis mandaret, ut accuratiore dein rei experientia vel firmaretur vel rejiceretur (30). Nec tantum nihil eorum, quæ ipse videbat, neglexit; sed nullam prætermisit opportunitatem, qua posset ad accuratiorem pervenire rerum notitiam. E nautis aliisque opificibus continue, quidquid animadvertissent, quidque illis obvenisset, diligenter explorabat (31). In peregrinationibus vero suis vel maxime omnia attendebat, quæ notatu digna viderentur, vel ex regionis, quam visebat, incolis apte exquirebat quicquid suæ arti profuturum putaret (32). Aurea illius erat sententia, rerum usum optimam esse certissimamque viam, qua ad communia accedatur principia, quibus optime innotescant omnia (33). Hæc vera fuit ratio, quam ille primus percepisse videtur, quâ, quantum fieri possit, principia generaliora constituantur.

Quod jam alii præstiterant et observaverant, rite tenebat Stevinus. Et prouti Baco lectores suos optime initiavit in suam doctrinam, referenda primum historia; ita et ille, ubi res postulabat, diligentissime refert doctrinæ, quam tractat, fata. Decantata enim suo ævo antiquorum scripta optime noverat, et perspexerat adeo (34). Quod vel ex eo apparet, quod primus ille fuerit, qui ea ad examen diligenter revocaret, rejicere haud dubitaret quæ falsa, perficere quæ haud absoluta, animadverteret (35). Hac dote germanum se Belgam esse egregie ostendit, quippe qui sibi minime placeret, si leviter tantum quædam attigisset, suasque nullo valido fundamento innixas protulisset opiniones; sed tum demum, si diligenter omnia explorasset (36). Disputando maxime illud se consequi posse hujus ævi putabant eruditi, sed summa in eo cernebatur illiberalitas, plurimique in veritatem non adeo inquirere, sed argutiis victoriam ab adversario reportare conabantur. Verum illa sui ævi contentionum labe minime infectus, cuique debitas non tantum laudes lubentissime tribuere, sed et scripta sua et inventa aliorum judicio candide submittere solebat (37). Non vana tenebatur arrogantia; non se spectabat in studiis, sed artem. Quæ si a quam plurimis, una conjunctis, tractaretur,

læte demum florere posse ipsi videbatur (38). In nostra republica, uti in aliis Europæ regionibus, jam hoc ævo viri habebantur, qui summo etiamnunc nomine a quocumque celebrantur; Adrianum Romanum, Willebrordum Snellium dico, Hugonem Grotium, Josephum Scaligerum, alios. Hos non adire, horum in ipsius arte peritiam negligere, Stevini nostri non fuit (39). Imo sua ante rata et vera non censebat, quam illa cum eruditis communicasset, quidque illi hac de re sentirent, audivisset (40). Non torvo amplius vultu, quidquid novum esset, persequebatur inquisitio; libera inter omnes consuetudo, rerumque secum invicem communicandarum nullum impedimentum (41).

Veram Stevinum iniisse viam, qua artem suam promoveret, haud facile negaverit quisquam, sed magis laudaverit eum quisque, et vero amaverit, si attendat, quanta fuerit in hac ipsa re viri generositas. Nusquam sibi arrogat, quod aliis debet, sed profitetur ingenue, quænam ab aliis mutuaverit, vel contra elegantius elaborata receperit quæ iis tradidisset. Imo ne suos quidem, quibus antea tenebatur, errores, infitiatur, sed ex viri scriptis patet, quam parum subinde abfuerit, quin sui ævi contagione infectus, non suus fuisset, sed aliorum acquievisset sententiæ (42). Hac eâdem modestia factum, ut tanto nomine habeantur ejus inventa; non mutato nomine inventionis laudem immerito sibi aucupatus est, sed, quæ vera est liberalitas, quod nescit, fatetur (43); quod ipse invenit, ingenue profert. Inde quoque ducendum, quod non superbe inventa sua ubique jactet, et omnia per ea perfici posse contendat (44); vel sua non adhibeat ad ea tantum, quæ inaudita sunt. In quo superbiæ genere fuit Drebbelius nostras, qui tum demum sibi placebat, cum omnes in sui admirationem rapuisset (45). Sed hinc iste nostratibus placere, nec gratus esse, ullo modo poterat. Hinc dubia admodum ejus fama. Stevinus vero hanc scurrilitatem non sectatus laudem ex arte non quæsivit, sed sponte sua fuit nactus. Sed vitium etiam in permultis habetur, qui novarum rerum inventores, his adeo gaudent, ut nullam rem istis carere posse opinentur (46). Quæ vero expolivit, non tanquam a se inventa jactat, quod eo tempore a plurimis fieri solebat, sed auctorem eorum nominat, eumque laudat (47).

Hæc ipsa et generositas et vero eruditio atque doctrina in ejus cer-

nitur Commentariis. Scripsit enim commentarium in Diophantum, qui hoc ævo admodum placebat eruditis (48). Aristotelis, Euclidis, aliorumque libros et quæstiones, uti et quod recentior tulerat ætas, Copernici systema in suum usum tractabat: ut suo dein loco ea ederet. Optime itaque meritus est de doctrinis; in iis pro hominum suorum more versatus, qui primum, quicquid adesset, probe perspiciebat, ut ita genus humanum ad nova etiam proferenda præpararetur: in hoc vero præ ceteris excelluit, quod ea non memoriæ tantum mandaret, sed in succum et sanguinem redigens, nova inde ingenii vi proferret. Etenim suus semper est in referendis etiam aliorum inventis. Elaborabat scilicet omnia eâ ratione, qua summi quique viri solent, adeo ut non aliorum inventa nude proferret, sed mutata plane, et ad meliorem etiam adducta rationem, quam quæ ab ipso spectata fuerat auctore. Regiomontani ergo calculum decimalem primus fuit, qui rite adhiberet in arithmetica sua. Quod de arithmetica opus, si vel solum a Stevino fuisset profectum, *sufficeret abunde*, ut testatur Adrianus Romanus, *ad illam laudem ipsi comparandam, qua ii soli censentur, qui toti profuerunt generi humano* (49). In eo ipso opere præclaram illam computandi rationem vehementer commendat mercaturæ et rei monetali adhibendam. Quantopere in his sapuerit, et docet res apud Gallofrancos monetalis egregie constituta, et nostri Regis hac de re decretum. — Multum sane in eo judicii et delectus, quibus nihil intactum relinqueret, quod corrigi et ad accuratiorem rationem adduci posse animadverteret. Quid igitur sit via et ordine sua proponere, quid in mathematicis præsertim valeat perspicuitas, nemo forsan Stevino docuit efficacius. Nil hactenus in mathematicis prodierat tam diligenter et perspicue elaboratum. Cui rei tribuendum vel maxime est, opera ejus digna esse habita, quæ variis linguis verterentur. Snellius ea Latine vertit, Girardi cura Francice edita sunt: summus Grotius ejus de limenheuretica commentarium Latine reddidit: Anglice idem prodiit liber, ne alicui genti, quæ hoc tempore culta habebatur, ignota forent, quæ protulerat summus ille nostras (50). Rite perceperat, quanta docentibus simul et discentibus molestia moveretur, summa imis si miscerentur, sique ea, quæ percepta jam essent habenda, retractarentur continue; quale vero commodum perciperet ille, qui via et ratione

res suas disposuisset, quantoque ille melius consequi posset, quam unice sectaretur, veram rei notitiam (51). Singulis itaque partibus tabellas præfixit, ex quibus et ordo rerum et vinculum facillime conspiciuntur (52). Multum etiam perspicuitati officere, ansamque logomachiæ, qua his temporibus continebantur fere disputationes, præbere judicabat, si quis verba et dictiones, quibus quisque in sua utitur arte, non bene teneret. Prima igitur illius fuit lex, ut quam accuratissime perciperetur, quæ vis atque significatio singulis inessset rerum denominationibus. » Quod » et hanc, inquit ipse, utilitatem mihi attulit, ut theoretica non tantum » scripta rite perciperem, sed et cum illis sermones miscere possem, » qui ab ineunte ætate hac in arte fuerant versati. Sæpius enim fit, ut » ea exinde dilucide pateant et illustrentur, quæ eruditorum ratiociniis » involuta vix enucleentur: utque uno hac in re versati opificis enunciato » funditus evertantur, in quæ commentanda viri docti desudarant" (53).

Hæc in aliorum operibus pertractandis præstitit Stevinus, hæc etiam in ordinis et perspicuitatis studio: quibus omnibus, ut diximus, ad nova quæque proferenda informabatur genus humanum. Sed vixit idem eâ temporum felicitate, qua primum ipsa illa nova inventa exsistebant. Quæ cum illius ætatis sit laus maxima, hanc ipsam laudem unus in paucis suo sibi jure Stevinus vindicat.

Illius enim mechanica non tantum prima fuit, quæ via ac ratione scripta prodiit, sed et quæ quam plurimis inventis præ omnibus, quæ in lucem eo tempore mittebantur, excelluit longe. Prouti nostrates chymiæ instauratores habentur (54), sic et mechanices instauratorem nostratem Stevinum fuisse, consenserunt omnes, qui de hujus doctrinæ fatis scripserunt (55). Guido Ubaldi cum nostro de præmio certare videtur, et quamvis in suo hic genere excelluerit, a Stevino tamen ejus laus est offuscata. Errores quidem sui ævi ille impugnabat, hos tamen ipse vix ac ne vix quidem evitavit (56). Omisit ille permulta eaque gravissima, quibus splendet Stevini nomen. Quod quidem cernitur maxime in clarissimo illo placito de proportione onus inter et potestatem in plano vergente, quod Stevinus primus rite constituit: dum Ubaldi secutus fuerat, quod communis agnosceret error. Pariter quod in vi rite declaranda, quam in se invicem exercent varii generis potestates, deërat Aristoteli,

supplevit Stevinus (57). Quid, quod hic luculenter docuit perfici id posse, quod reliquerat Archimedes, qui eo tempore nihil non absolutum posteritati tradidisse ab omnibus censebatur (58). — Sed de singulis videamus laudibus, quibus ejus cernuntur inventa. Nam multa non ingenio hominum sunt accepta referenda; sed cum casu et forte exsistant, maximam gloriæ partem sibi vindicat fortuna: contra in Stevini inventis. Quis enim sanus curruum veliferorum, quibus et apud exteros magnam famam, et Grotii carmina sibi comparavit (59), inventionem fortunæ tribuerit? Quis rite exploratum pondus fluidorum in vase, quod ubique non eadem est circumferentia? Et si quæ fortunæ debuerit, ea tamen adeo elaboravit, ut ex ipsius ingenio profluxisse videantur. Quippe non observabat tantum accurate, sed ex ipsius rei natura docebat aliter rem fieri non posse (60). Cum vero nihil noceat magis rerum novarum inventoribus, quam si in operibus efformandis ruditas, in describendis obscuritas habeatur; Stevinus et perfecti et clarissimi inventi laudem sæpissime meruit. Ex quo duplex oriebatur commodum. Ita enim factum est, ut non interirent ejus opera, sed probe intellecta perspectaque posteritati traderentur. Et vero sic omnis inventorum laus ad ipsum redundavit Stevinum. Nam cum rudiora quæque opera viros desiderant, qui elegantiam iis concilient, cumque hi sæpe magis solebant laudari, quam primi eorum autores: Stevinus et ordine et elegantia suorum inventorum id effecit, ut ipse laudaretur ab omnibus, quippe qui ea et invenisset primus, et idem perfecisset.

Ex his omnibus luculenter patere mihi videtur Stevinum, tantis dotibus insignem, pro sui temporis ratione perfectum exstitisse mathematicum. Non effecit ille quidem, quod posterior tulit ætas, neque tantum attigit fastigium: quod ut fieri in rebus humanis nullo modo potest; ita tamen ille viam munivit, qua procedentes posteri eo possent pervenire. Quocirca uti ceteri ea ætate literarum doctrinarumque instauratores immortalem sibi gloriam acquisiverunt, quippe qui primi signum sustulerunt: ita quoque Stevinus laudandus est tanquam perfectus mathematicarum doctrinarum instaurator.

Sed, sentio, aliquid mea desiderat oratio. Ne laudemus unice Stevinum ab inventis suis, ab egregia, quam in studiis secutus est, ratione; sed cives primarie decet civem laudare ob id, quod civitati profuerit. Non enim adeo elucet virtus aut quæcumque præstantia, nisi adhibeatur ad aliorum, præcipue autem ad civium, salutem. Dulce enim est homineque dignum sapere, sed patriæ prodesse, patriæ libertatem servare sapientia sua, hoc longe dulcius, longe est dignius. Laudatur omni ævo Archimedes, quod suæ patriæ defendendæ tam præsto fuerit, sed nonne et nos decet Stevinum proferre, qui in æquali calamitate patriam suam pariter servare, omni ope studuit? Pari itaque laude atque gloria et hic est condecorandus.

Rite viderant exteri principes, quam vim haberet ille in regionis suæ salutem stabiliendam augendamque. Eum itaque ad se allicere vehementer studebant, dignitatibus muneribusque oblatis (61). At frustra. Patriæ enim nostræ conditionem miserrimam adhuc intuebatur (62), quippe quæ sibi minus constaret, aliorum fere indigeret auxilio. Unicum afflictis rebus restituendis in Mauritio erat præsidium. Summa igitur cura inde ab ineunte ætate eum attenderunt ordines, ejusque diligenter prospexerunt institutioni (63). Anno ætatis 18 eum summis præficiebant civitatis moderatoribus. Magna enim in eo juvene ingenii et judicii maturitas et prudentia politica. Sed contra fati fluctus reluctanti reipub. requirebatur summus belli dux. Talem fore Mauritium exspectabant omnes, neque eventus spem fefellit (64). In certamen hoc tempore duo belli duces descendebant, Mauritius et Spinola, quorum hic diuturna rei bellicæ tractatione summo honore et apud cives suos, et apud regem Hispanorum, gaudebat: juvenis alter, qui nec rerum usu saperet, nec in re militari tanta nactus esset summorum imperatorum præcepta atque exempla, qualia contigerant hosti. Sed vel sic tamen adeo in patria nostra splendebat ars militaris, ut undique ad Mauritium mitterentur, qui ab eo erudirentur: præsertim excellebat Mauritius in iis, quæ non adeo rei usus docet, sed studium, sine quo perfectus belli dux nullus unquam fuit (65). Quis autem in summo illo magistrorum delectu, in summa illa, qua Mauritius cultus est, cura atque diligentia, dignus fuit habitus, cui patriæ spes unicumque in rebus miserrimis præsidium rite ornandum,

et ad magna quæque instituendum tuto committeretur? Stevinus. — Quis Mauritio continue suis adfuit consiliis? Quis ad ultimum usque vitæ tempus eum docuit? (66) Stevinus. — Quis tandem illi omnibusque, qui de patria bene sentirent, fuit probatior? Cui graviora in patria nostra defendenda tributa sunt munera? Quis peritia sua et patriæ amore hisce laudibus, hoc honore merito omnium dignissimus? Idem ille nostras Stevinus. — Si quæ enim est regio apta, quæ rite defendatur per aquarum vim, modo bene adhibitam, est certissime patria nostra. Quid dico, defendatur? Imo quæ unice consistere possit fluminum non tantum, sed et oceani marisque interni impetu represso. Tollas hoc, maximam sustuleris eamdemque felicissimam nostræ patriæ partem. Hoc nomine autem meruit egregie Stevinus. Urbes enim rite munire non tantum primus docuit cives, in quo maximum fuit contra Hispanos præsidium; sed fossas etiam, quibus illæ propugnantur, aptissimos reddidit portus (67). Ad mercaturam et agriculturam (68) promovendam egregie profuit: molis aquariis et emissariis quibusdam inventis (69). Quam bene hæc omnia Mauritii tempore ordinata fuerint, testantur vel Hispanorum historici. Et quis hisce præfuit alius, nisi Stevinus ille noster? Nonne ipsum intima hydrostatices et hydraulices peritia adeo splendere videmus, ut celeberrimarum Europæ urbium magistratus continuo eum adirent, eum consulerent (70). Is hoc tempore summus fuit præfectus in patria nostra operibus hydraulicis, ejus prudentiæ merito hæc omnia commissa. — Celebratur Mauritius ob summam in castris ponendis prudentiam (71); at Stevinus, quid hac in re valeat theoria, quid usus, rite eum docuerat, eique continuo præsto erat in castrametatione, cui et summus electus fuit præfectus: quamvis, quod ad ejus laudem est dicendum, pro modestia sua hisce muneribus, neque in librorum titulis, neque alibi usquam, sit gloriatus. Mauritius quoque non aliorum tantum inventis in bello apte utebatur, sed eo auctore summas commutationes subierunt ea, quæ ad bellum gerendum maxime valent. Sed egregius vir aliorum, delectissimique imprimis Stevini sui, consilium in omnibus omnino adhibebat (72). Perceperat enim, novi nihil vel inexspectati perfecto belli duci obvenire debere; sed omnia eum prævidere antea, vel ita disponere oportere, ut hosti quam rarissima esset opportunitas damni

cujusdam moliendi. Prius ergo, quam urbes obsidione cingeret, ipse Mauritius tabulas earum depinxit, ut aptius alios consulere et mandata designare posset. Cum vero illud non ex voto cederet, Stevinum adiit suum, qui principem hujus rei non nisi peritissimum a se dimisit (73). Machinarum ad hostem vel in ipsa urbe aggrediendum, vel ab obsidione depellendum plurimus in his bellis fuit usus. Non tantum Stevinus plurimas invenit novas, vel ad meliorem adduxit rationem; sed et omnia, quæ harum usui obstare possent, prævidit apte, et remedium attulit (74). In rebus bellicis ministrandis, in armamentariis ordinandis et justo modo, accepta expensaque ferendi, constituendo, Stevinus non vero Mauritius summæ commutationis fuit auctor, et efficacissimum fraudibus, quæ frequenter ibi fieri solent, repagulum posuit (75).

Aut fallor equidem, aut videtis, quantam vim Stevinus in bellum hocce exseruerit. Sed est id plerumque ministrorum fatum, ut eorum nomina vix ad posteros perveniant, dum principes ipsi, quibus tantopere præsto fuerunt, laudibus extollantur. Mauritium laudarunt multi; sed nuper demum prodiit vir summus, qui de Stevino dixit, cujus hactenus decus atque nomen satis innotuisse non videbantur (76). Quod ergo si neglexerint historici; at ex ipsius viri operibus patet, tantam fuisse ejus in rebus bellicis operam, ut eximie censeatur in illis, per quos patria nostra a tyrannide liberata sit (77).

Ne tamen quis putet, me nimium tribuere Stevino, et omnia, quæ laudi esse possunt, Mauritio detracta velle. Imo mathematicarum rerum peritia Mauritium inclaruisse maxime, in ipsaque illa arte egregie excolenda, apteque adhibenda, eximium fuisse virum, (78) ipsius Stevini opera testantur; quorum titulus Mauritii magis, quam Stevini, nomen præ se ferre videtur (79). Paucis admodum hominibus contingit laudatorem nanscisci, qualem Mauritio Stevinum. Egregie enim facta, res splendide gestæ ab historicis quidem enarrantur, eorum vero auctor exinde eâ, quâ par est, dignitate non semper cernitur. Hoc per eos demum fit, qui ingenium retulerunt et studia domestica; in quorum numero eximie nominandus est Mauritii laudator, Stevinus (80). Summa continuo modestia refert, quid Princeps ille in artibus valuerit, qua sagacitate omnia, quæ ad rem suam conducerent, perspexerit, quam insatiabili

discendi investigandique studio varias gravissimasque doctrinas tractaverit: quantumque ab eo ipse profecerit. Quod igitur ipse Stevinus summa liberalitate Mauritio tribuit, id nos profecto ei detractum nolumus. Id vero in Stevini honorem dicendum, quod se non spectaverit, sed primus ipse fuerit in condecorando illo, quem et nos honore suo lubenter prosequimur.

Itaque hæc fuit laus maxima Stevini, quod et studiis suis patriæ prodesse conabatur, et vero scriptis unice laudaret patriæ principem Mauritium. Scilicet erat ille unus in paucis patriæ amantissimus; cujus libertas cum eo tempore vindicaretur maximo ardore ab omnibus, nemo fuit hujus libertatis studiosior Stevino.

Concludimus ergo eandem in Stevino fuisse indolem eximiam, sive mathematicum eum consideres, seu civem. Nam, uti antea diximus, eum, ruptis vinculis omnibus, summa in cogitando excelluisse libertate; ita nunc eundem in agendo vidimus civem fuisse omnium maxime libertatis amantem.

Sed aliud etiam laudis genus in Stevino est memorandum, idque ita cum his prioribus conjunctum, ut eadem in hoc etiam cernatur libertas, idem ille patriæ amor.

Homines enim præsertim eo tempore, quo libertatem suam a tyranno vindicant, nullis omnino se vinculis premi patiuntur. (81). Itaque ut in rebus civilibus ac religiosis, ita in literis etiam et lingua nil non suum esse voluit, nil non patrium et cum libertate congruens. Quocirca cum in doctrinis suis factisque eximius fuerit Stevinus; aliud etiam eum solo patrio arctissime cohærens petiit, et splendide consecutus est. Non tantum enim cupiebat, a Belgis tractari res quasvis egregias, sed et eas patrio prodire habitu atque sermone, hoc erat quod ipsi maximopere placeret. Illius hac in re non minora sunt merita. In iis vel maxime cernitur suus (82), eumque idem petere videmus, quod sectabantur illi, qui patriæ amore libertatisque studio flagrantes, nostræ regionis laudes atque præsidia habentur merito. Quo magis gens nostra cernitur sua, eo melior, eo purior et lingua fuit. Refert enim mirifice nostram indolem

ejusque veluti effigiem proponit (83). Linguæ nostræ antiquam puritatem (84) exceperant exterorum dominationes moresque (85). Unde misere nostra lingua contaminata, ut adeo in rhetoricorum scholis elegantissimi haberentur, qui peregrino ornamento cernerentur, et aberrassent a germana illa elegantia, qua noster gaudet sermo (86). In meridionalibus vero nostris regionibus, quæ ad cultum promovendum spectabant, suppressa jacebant, atrocissima in literas prodibant edicta, lingua imprimis patria neglecta prorsus (87). Qui igitur in literis patriæ ducebantur amore, in septentrionales regiones fere migrabant egregii viri, Sevecotius, Barlæus, uterque Heinsius. In his etiam fuit Stevinus: qui una cum illis id consequebatur in alia patriæ parte, quod petebat vel maxime; — conjunctæ illæ vires mirifice valuerunt (88). Una cum illis linguæ nostræ restauratoribus de corruptela sermonis querebatur (89) non tantum, sed præceptis etiam (90), et vero exemplo ipse suo hujus labis tollendæ edidit conamina. Linguæ enim nostræ rationem atque stylum adeo perceperat, ut ipse *Rhetoricam Belgicam* conscriberet (91). Alias etiam rite tenebat linguas; Francicâ scripserat aliquando, Germanica vero, Italica, Græca et Latina eum non latuisse videntur. Has inter et nostram linguam instituit comparationem; unde ipsi patuit, ut summi Grotii verbis, utar, quæ eadem et Stevini fuerunt, » Quantopere omnibus rebus » tractandis ea apta sit: res enim nulla invenitur, quæ non, si quis velit, » proprium inveniat nomen; nec ad quærendum solertia aut industria » opus est; sæpe enim fit, ut pueris inter ludicra et jocos nec cogitanti- » bus excidant vocabula, nova quidem, sed nulla novitatis specie: quæque » non intelliguntur modo, sed audiuntur haud aliter, quam usitata" (92). Magnam, qua nostra gaudet lingua, verborum inter se copulandorum proclivitatem rite Stevinus observavit, exhibuitque egregie. Quantam illi debemus vocabulorum copiam, quorum ille unicus habendus est auctor: quæ hactenus Græce tantum, aut Latine, audita fuerant, egregie expressit ille Belgice. Nec verborum illa copia abusus est Rhetoricorum more, qui verborum nimia affluentia obscuritatem contrahebant suis scriptis. Sed veri putabat esse oratoris, ita sua proferre, ut persuaderet; » qui autem » inquit ipse, ut hunc assequatur finem, aptissimis utitur verbis, ille » quid agat, intelligit optime" (93). Ad hanc eloquentiæ vim sese effor-

mavit legendis exteris scriptoribus poëtisque (94); hanc linguæ patriæ excellentiam ex antiquis scriptoribus Belgis petiit. Utramque vero et linguæ elegantiam et styli bonitatem cum in universis suis scriptis ostendit, tum vero maxime in procemiis manifestavit, eloquentia eximiis.

Nostra ætate, si minus in patria nostra, at saltem in Francia, Anglia, Germania egregie docuerunt viri docti, sua cuique lingua utendum esse ad suas explicandas notiones. Id vero sua jam ætate perspexit Stevinus: id suis ipse scriptis comprobavit. Cujus exemplum si posteri fuissent secuti, latius fortasse patuisset, cum ipsis Belgarum scriptis eximiis, egregiæ nostræ linguæ cognitio. Censebant autem illo tempore plerique plurimas certe artes aut doctrinas belgice tractari nullo modo posse. Verum pauci quidam fuere, qui aliter sentirent; in his summus Grotius et noster Stevinus: quorum ille jurisprudentiam (95), quod vix fieri posse multi etiam nunc censent, hic autem mathematica hypomnemata ita patrio explicuit sermone, ut ejus præstantiæ efficacissima etiamnunc habeantur monumenta. In rerum itaque tractatione vel antiquis linguis, Græcæ et Latinæ, longe nostra excellere ipsi videbatur: iis enim nil adjicere, nec rebus novis nomina imponere licet, nisi quæ sint barbara, abhorreantque plane ab antiquo illo, quo maxime splendent, nitore atque præstantia. Gratulabatur itaque Grotius, qui tunc Stevinum cogitasse videtur, »quod » artes prælegi et scribi cœpissent eo sermone, quem non in scholis, sed » in cunis discimus. Quod si procedet, inquit, sine dubio absolutissi- » mam disciplinarum omnium scientiam aut acquiremus, aut recupera- » bimus" (96). Sentiebat scilicet Grotius, quæ et Stevini sententia fuit, tempus jam adesse, quo quam plurimi ad artium doctrinarumque tractationem admitterentur non tantum, sed et allicerentur quam maxime. Hujus rei primum conamen esse in lingua quadam universali constituenda Stevinus docuit. Omnia itaque patria patrio etiam sermone tractanda esse non tantum judicabat; sed majus quid vir summus petiit. Batavam linguam, quippe omnium optimam, ubivis usurpari debere censebat, et læte demum artes et doctrinas florere posse, si Belgice tractentur, si Belgica lingua audiatur ubivis.

Atque ita quidem accessimus ad primarium illud Stevini placitum in quo omnes ejus laudes veluti conjunguntur. Nam cum et mathemati-

cum doctum liberalemque eum viderimus, et civem eximium, et linguæ patriæ præcipuum amatorem, hæc ejus et doctrina, et linguæ cultus, et patriæ amor conjunctim apparent in ejus placito de aurea doctrinarum ætate.

Scilicet hoc ævo mirifice increverat artium doctrinarumque studium, et provectiorem ætatem jam adesse sentiebant eruditi, qui et ipsi hujus felicissimæ commutationis exstiterant auctores. Illam præcipue mirabantur, si ad tenebras illas respicerent, e quibus sese expediverant. Quo hæc omnia tenderent aliquando, intelligere vix poterant. Fingebant itaque, vel ex antiquorum scriptis probare studebant, auream fuisse aliquando artium doctrinarumque ætatem, eamque instaurare omni studio gestiebant. Summa enim, quæ ad id efficassima foret, ea ætate habebatur liberalitas; ad communionem admittebantur omnes; ne orirentur odia et simultates, contrectationesque mutuæ, sed ut nobilis quædam excitaretur æmulatio, qua nil efficacius ad magna quæque proferenda commoda illa, quæ ex communione redundant, in communem, præcipue autem in patriæ salutem atque auctoritatem, exhibenda esse judicabant. Civis enim hisce temporibus ubivis cernebatur: omnia ad patriam unice relata. Hoc primarie in aurea ætatis adumbratione requirebat Stevinus, et suo exemplo ipse comprobavit. Sed hæc felicissima communio externo etiam habitu cernatur, oportet: linguâ imprimis, qua tractantur omnia, conjuncti esse debent omnes, tamquam fratres ex eadem domo orti. Cujusmodi linguam omnibus communem et Leibnitius effingere voluit, et noster ille Stevinus. Quorum ille novam linguam effingendam esse putavit, hic vero patriæ amore ductus, et re accurate perspecta, patrium suum sermonem esse contendebat et aptissimum, et vero ex antiqua illa aurea ætate desumtum. Ea enim primariâ illâ, quâ gravissima quæque rite tractentur, dote, et philosophicâ suâ ratione omnibus omnino excellere videbatur.

Hoc itaque elegans fuit Stevini figmentum, quod ei cum aliis ejus temporis summis viris fuit commune (97). In quo suam ille indolem eximie expressit. Etenim, qua fuit ipse et doctrinæ liberalitate et linguæ suæ studio, et hoc ipso patriæ amore; hæc omnia et olim genere humano eximie profuisse censebat aurea illa ætate, et, si hæc reviviscerent in

omnium animis, hanc ipsam ætatem auream putabat restitum iri. Quæ itaque ipsa cum Stevinus omni studio scriptis factisque propugnaverit, hunc nemo non agnoscere debet ut summum patriæ nostræ decus, et vero admirari eumdem, et diligere tanquam instauratorem aureæ doctrinarum ætatis, quâ post medii sæculi ferreum ævum gavisum est genus humanum.

ANNOTATIONES.

(1) Conf. Van Wyn, Hist. avondstonden, tom. II. pag. 65 seqq. — Hicce cultus maxime promovebatur increscente mercaturæ studio et, quæ inde oriuntur, divitiis, quibus maxime gaudebant et aliæ nostræ patriæ regiones, et præcipue Flandria. Vid. de Bruga, nostri Stevini patria, Adrianus Romanus Theatrum urbium, pag. 50; et Van Kampen, Geschiedenis der letteren en wetenschappen, pag. 7. — Académie royale de Bruxelles anni 1817, pag. 15. — Viros egregios quos Bruga tulit, vide apud Foppens, Bibliotheca Belgica, tom. II. pag. 1181. Anno 1516, Antwerpiam maxime migrabant, quicumque in Flandria culti habebantur. Ibid. tom. IV. pag. 129. — Universe conf. de mercatura increscente Robertson introductio ad Carolum V, pag. 130 seqq. ed. Belgicæ.

(2) Vid. Montucla, Histoire des mathématiques. Paris, an VII. part. IV. liv. I. § 1. tom. II. pag. 2 seqq.

(3) Vid. Villers, Essai sur l'esprit et l'influence de la réformation de Luther. Metz, 1804. p. 16.

(4) Conferri meretur Villers l. l. pag. 14.

(5) Id. Ibid. pag. 16 seqq.

(6) Uti Copernici placitum de terra non in medio fixe posita, sed in circulo voluta, jam præsagiebat Philolaus. Vid. Diogenes Laertius, lib. VIII. pag. 622. A. editionis Casauboni. 1693.

(7) Encyclopédie. Yverdon, 1755. tom. 27. pag. 742. Montucla, part. I. lib. I. § 4. tom. I. pag. 10.

(8) Montucla, part. I. lib. III. § 22. tom. I. pag. 192 seqq. Non tamen omni mechanices vel rerum mathematicarum notitiâ caruisse antiquos declarant et multi ex eorum scriptis loci, et præsertim ingentis molis rudera, quæ ex antiquitate supersunt, et sine illarum artium ope moveri non potuissent.

(9) Montucla, part. I. lib. II. § 1. tom. I. pag. 203.

(10) Montucla, part. I. lib. V. § 8. tom. I. pag. 328. Pappus et Theon in his fuerunt viri principes, qui quod alii invenerant, sed quod sparsum habebatur, colligerent et in ordinem referrent.

(11) Montucla, part. II. lib. I. § 1. pag. 352.

(12) Montucla, part. III. lib. I. § 3. tom. I. pag. 501, 504, 509 et partim 536. maxime. part. III. lib. III.

(13) Nonnulli, uti Ramus, summa ope nitebantur, ut mathematicæ majorem vim in ceteros Philosophiæ partes exsererent, et voluerunt, ut a logomachia tandem abstinerent homines, Aristotelemque negligerent, vel melius intelligere conarentur. At frustra: tempus nondum aderat. Montucla, part. III. lib. III. § 5. tom. I. pag. 576.

(14) Ita seculo XIV inventa pyxis nautica. Montucla, part. III. lib. I. § 9. pag. 527. tom. I. A Belgis antea jam inventæ fuerant molæ, quæ ventis agitantur. Id. Ibid. § 10. pag. 550. Conf. Hug. Grotii Parallelon, editio Meermanni. cap. 23. tom. III. pag. 17, et Meerman in notis, pag. 226. Seculo VIII. vel IX. quæ in sacris ædibus habentur organa, horologia alia, uti et vitra, quæ spicillis vel tubo optico inserviunt.

(15) Purbachius quidem, ut hoc consequeretur propositum, multa excogitavit atque confecit instrumenta, vel ab antiquis relicta ad meliorem adduxit conditionem. Universe hypotheses antiquorum corrigere, vel ad certiorem rationem perducere gestiebat. Montucla, part. III. lib. II. § I. pag. 539. Regiomontanus, natus anno 1436, ejus fuit discipulus, et idem fere petiit. Hic maxime cupiebat ipsos fontes adire genuinos, ut inde vere erudiretur. Hoc adeo ei cessit, hujusque, quam sibi acquisiverat notitiæ documenta, tanto sunt numero, ut fidem fere superent. Quæ traductiones tamen partem tantum operum constituunt. Montucla l. l. § 4. pag. 541.

(16) Villers, Essai, pag. 323.

(17) Id. Ibid., pag. 287.

(18) Montucla, part. III. lib. III. § 6. tom. I. pag. 593.

(19) Ita referente Guil. de Malmesbury ad annum 999, fuit Rheinsi ipsius etiamnum tempore in ædibus sacris horologium, in quo ventus per aquam agitatus, sonos ederet suavissimos. Montucla, part. III. lib. I. § 3. p. 501. tom. I. Albertus Magnus automatum confecisse legitur, quod valvas clauderet, vel aperiret. Montucla, § 4. pag. 506. Regiomontani musca et aquila celebrantur, qui sese moverent volarentque viventium instar. Montucla, part. III. lib. II. § 4. pag. 544.

(20) Montucla, part. III. lib. III. § 5. pag. 575. Proponebantur quæstiones, quæ omnium omnino animos vehementer inflammarent. Idem. Ibid. § 5. pag. 575.

(21) Quamvis clericis maxime debeamus, quod antiquorum scripta non plane interierint, (Montucla, part. III. lib. I. § 3. tom. I. pag. 504.) diutius tamen

quam par fuit, artes atque doctrinas ab antiquis relictas, sibi retinuerunt, vel ea ratione in iis tractandis processerunt, qua quam plurimos, qui profani habebantur, ab earum arcerent communione.

(22) Tartalea Euclidis elementa edidit Italice, sed horridæ estque incultæ etiamnunc linguæ, qua scripsit, Montucla, (part. III. lib. III. § 2. tom. I. pag. 565.) tribuit eum librum parum omnino profuisse. Huic causæ tribuendum quoque, quod Wernerus, qui eadem Euclidis elementa Germanice scripserat, ea non ediderit. Montucla l. l. § 3. pag. 581.

(23) Montucla, part. III. lib. V. § 1. tom. I. p. 689.

